

qui si in murum inciderent, facile eum quassarent: unde Eccles. cap. X. suadet: *Fili in mansuetudine scriba animam tuam.*

Tertio, facit cor docile et capax verbi divini juxta id Jac. I. *In mansuetudine suscipite insilum verbum: et Eccles. V. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.* Mansuetudo enim est quasi aqua limpida vel speculum tersum, in quo rerum imagines clare perspiciuntur. Est mentis serenitas et tranquillitas, quæ facile capit sapientiam.

Denique, ubi est mansuetudo, ibi est et Deus. Hinc enim Elias iratus cultoribus Baal, vidit Deum non in specie turbinis, sed auræ lenis, III. Reg. XIX. quia: *Ubi est ira, ibi non est Dominus, sed amica Satanæ,* inquit S. Clemens, I. II. constit. c. XXXVII.

V. Ab exemplo Christi, quid enim in Christo videas nisi humilitatem? Nisi mansuetudinem? Quis in stabulo jacuit et præsepio, diversorio aliis concesso? Quis una contentus tunica? Quis pedibus semper incessit, semel tantum asino vectus? Quis ad ægros vocatus mox descendit? Quis cæcum illum Marc. VIII. manu apprehensum duxit extra vicum ad sanandum? Quis medio latronum suspensus? Quis cum Deus esset, filium hominis tantum se vocavit? Nonne Christus?

Mansuetudinem porro si quærimus, nonne eum rudibus discipulis pacate semper egit? Nonne eorum indocilitatem et defectus alios mansuetudine vicit? Num latroni se convicianti respondit? Num se de hostibus suis Judæis ultus est? Nonne: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et cum malediceretur, non maledicebat,* etc.

Ergo, auditores, duæ hæc virtutes tam necessaria, quam cognata, sint nobis velut annuli duo sibi mutuo implexi, eosque in manu nostra perpetuo gestemus. Commentum sunt Hebræi (quod ideo refero, ne quis huic fabulæ, quam magister historiae eccl. super Exodum refert pro re gesta, facile fidem præbeat) Moysen ex Madian redeuntem in Ægyptum, cum videret uxorem patriæ nolle excedere, fabricasse duos annulos gemmis insignes, in quarum una sculpsit imaginem oblivionis: in altera imaginem memoriæ: priorem illum annulum uxori dedisse, ut patriæ oblivisceretur; hunc vero secum tulisse. Nobis hi annuli duo sunt mansuetudo et humilitas: illa annulus et monile oblivionis, quo admonemur oblivisci, dissimulare, et tolerare et surda aure pertransire injurias: hæc vero annulus memoriæ, quo memoremur nos terram esse et pulverem. Ita fiet ut e mundi hujus deserto facile et expedite pergamus in terram lacte et melle manantem quam nobis in cælo tribuat, qui nobis in hodie-

no evangelio duos istos annulos præbuit Christus.

## CONCIO VI.

CUR JUDAS A CHRISTO AD APOSTOLATUM FUERN ERECTUS.

I. Quia cum eligeretur dignus erat. — II. Quia etiam in perditissimis omnia tentanda. — III. Ut pateret, Christi veritatem non labefactari posse. — IV. Quia dignitas status non significat hominem. — V. Ut sciamus miram non esse, si inter bonos sit quis malus. — VI. Ut sciamus malos etiam inter bonos tolerare.

## THEMA.

*Episcopatum ejus accipiat Alter. Actor. I.*

Plurimi semper mirabantur et mirantur in hodiernum, quid causæ tandem fuerit, quod in societatem apostolorum, adeoque suam quoque elegerit Christus Judam, quem sciebat furem, proditorem, diabolum. Nam imprimis in discrimen vocasse saltem rudioribus scientiam suam videtur, dum elegit illum quem nemo unquam hominum sociaturus sibi fuisset, si furem, proditorem suum fore præcivisset. Pharisæus ille Christi scientiam in dubium revocavit, quod Magdalenam admiserit ad humilitatis officia, Luc. VII. dicendo: *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est hæc mulier, quia peccatrix est: at majus multo est evectum fuisse Judam ad apostolatam. Deinde, in discrimen etiam Christi veracitas venit: nam Joan. VII. dicitur: Multi crediderunt in nomine ejus: ipse autem Jesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes; ipse enim sciebat quid esset in homine, etc.* Quod si illis se non credidit, quia imperfectos illos et instabiles fore vidit, ut exponit ibi Chrysostomus, quomodo credidit se Judæ, quem sciebat fore pessimum? Sane absque magno et sapientissimo consilio id nequaquam fecit: hoc itaque nunc disquiramus.

I. Ideo ad apostolatam evectus est Judas, quia tunc cum eligebatur dignus erat, vult S. Hieron. I. III. contra Pelag. c. et alii. Judicare videtur hoc ipse Dominus, cum Joan. VI. ait: *Nonne ego vos elegi duodecim, et ex vobis unus diabolus est? Non ait: Diabolus erat, sed est: quia postmodum primum factus. Quid hic descendum venit? « Deus præsentia judicat, non futura ait Hieron. dicto loco contra Pelag. neque condemnat ex præsentia quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat. Sed tantæ bonitatis est et ineffabilis elementæ ut eligat eum quem interim bonum cernit, et scit malum futurum,*

dans ei potestatem conversionis, etc. Nimirum qualem invenit servum talem et judicat Deus; unde sicut tunc electus est in apostolum Judas, quando bonus, ita tunc damnatus est, quando reprobus inventus. Non impedivit ejus apostolatam, quod aliquando futurus esset malus, nec impedivit ejus damnationem, quod forte pœnitentiam acturus esset, si diutius vixisset. Tremendum hoc Dei justumque judicium in ficu illa describitur, quam in transitu arefecit Dominus, quod fructum in ea non invenisset, Matth. XXI. Licet enim tunc, ut scribit Marcus, cap. XI. ficorum tempus non esset, quia tamen ficus, quod cæteris arboribus feracior sit, et ter quaterque per annos singulos fructum gignat, ut refert Anglicus, I. XVII. c. LXI. hominem designat, qui sicut omni tempore fructificare potest, si vult, ita nunquam non tenetur; ideo sicut eam invenit, ita judicavit Dominus. Electus in apostolum Judas fuit, quando frugifer inventus: arefactus damnatus est, quando sterilis reperiens. Ut non sit abs mysterio, quod in ficu se suspenderit, ut scribit Beda de locis sanctis, c. IV. utpote ficus ipse sterilis, quia sic inventus est, sic et arefactus.

II. Ex Ambros. in c. VI. Lucæ. Dionys. Carthus. in c. VI. Joan. ut doceret in homine etiam perditissimo tentanda esse omnia media, quibus converti possit, licet pro desperator habeatur. Si peccatores deserentur, et remedio omni destituerentur, existimarent multi, eos natura, non voluntate malos esse, siquidem deserentur tantam incurabiles. Nullus est in homine spiritus talis morbus natura sua talis nisi obstinata voluntate talis efficiatur. Et quemadmodum arbusta, quæ tali loco vel cælo, sterileseunt; alio transplantata, ad mitius nempe cælum, sæpe fecundantur: ita et peccator, qui inter malos malus est, sæpe inter bonos bonus fit. Omnia tentavit Dominus, ut Judam ad flagitia primum, ab iis avocaret, et in bono conservaret, ideo e mundi consortio et sanctissimum illud apostolorum collegium evexit, velut ad mitissimum cæli locum, ubi perverti nemo posse videbatur. Qua in re Dominus: *Judicium suum apud homines periclitari maluit, quam affectum,* ut ait Ambros. in cap. VI. Luc. Adhibuit ibidem illi omnem operam et sollicitudinem, ita ut esset inexcusabilis. Nam uti palmas putatur, fulcitur, lavatur, sanguine denique humano (quo emortuæ etiam arbores vivificantur) rigatur: ita Judam Dominus cultro comminationis terruit semel, iterum, tertio. Verbis suavissimis fulcivit vocando eum amicum, q. d. nihil verearis; redi in amicitiam, quia facile potes, si velis esse amicus:

et en modo me tibi in amicum offero: nil superest, nisi ut acceptes. Lavit ejus pedes procidens ad illos, tersit, osculatus est, ac tenuit quodammodo ne ad scelus current. Denique, corpore et sanguine suo (ut multi pp. volunt) non buccella tantum et mensa communi cibavit et rigavit. Inter hæc tamen omnia: *Non est recordatus facere misericordiam et persecutus est hominem inopem, etc.* David, Ps. CVIII. q. d. tot tantisque modis non potuit excitari mens illius. Unde S. Bernard. serm. de passione Domini mirabundus de Juda ait: *«Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuisti, civium cæli socius et verbi divini conviva: quomodo reputatus es inter filios tenebrarum? Qui nutrebaris in croceis, cur amplexatus es stercorea?»* Hæc ille. Quo malorum devenisset Judas, si mediis his caruisset? Non adeo mirarer furem et proditorem, si procul a Christo fuisset: quemadmodum nec miror hominem illum qui triginta et octo annis infirmatur, Joan. V. quia dicebat ipse: *Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Sed unum tu o Juda dicere poteris: *Hominem non habeo? Annon quotidie habebas? Annon brachiis tuis amplexaberis? Annon ore contingebas? Annon amicum audiebas? Quin igitur descendisti in piscinam? Cur ivisti ad Judæos potius, quam ad discipulos? Ad laqueum, quam ad fletum? Videtis igitur jam voluntatis esse culpam, non naturæ vitium, si quisquam obstinatus pergat ad interitum. Tantum enim abest ut peccatorum Deus privet auxilio, ut potius innumera adhibeat, quæ multoties omnia nihil profutura novit.*

III. Ex D. Ambros. in c. VI. Luc. ut doceret veritatis suæ firmitatem labefactari non posse, etiam si unus deficeret, vel plures defecissent. Duodecim solum duces elegit Christus, quibus totum sibi subjugare et invertere mundum statuit. Parvus ante numerus, exigua manus; sed: *Nolite timere pusillus grex,* ait Dominus, Luc. XII. *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Lugebat Samuel Saulem, quod a Domino defecisset, I. Reg. XV. Sed audi quid dicat Dominus, mox seq. c. *Usquequo tu luges Saul,* ait, *cum ego projecerim eum?* q. d. non sum ego instar hominis, qui doleam vicem meam ob amissum ducem, quia promptum mihi est alios excitare. Unde mox subjungit: *Imple cornu tuum oleo et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem, providi enim in filiis ejus mihi regem.* Similiter in locum Judæ electus est Matthias. Non dolet Deo, o apostatæ, quod ab ipso recesseritis: non corrui Ecclesia, licet intempeste nationes abscedant: *Potens est filios Abraham*

ex lapidibus suscitare, Matth. III. Nihil aliud requiritur, nisi ut impleatur cornu oleo, et exteræ nationes evangelio imbuantur, et statim aderunt alii: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei*, ait Dominus, Matth. XXIII. nimirum tam mali, quam boni. Ruat prælatus, ruat episcopus, ruat rex et regnum, non ruat Ecclesiæ cathedra et Dei oratio. Quinimo, non modo nihil obest divinæ providentiæ ruina reproborum: verum adeo potens Deus est, ut malitia istorum uti bene possit. Delinquit nauta in navi? Factum bene: redigatur in servitutem, trahat remos, ut navis promoveatur. Delinquit in prælio miles? Factum bene: cogatur appendere arietem portis obsessorem: accendere mina et cuniculos oppletos ad hostium excidium. Sic agit etiam Deus. Lapsus est Lucifer? Creatus est homo. Lapsus est homo? Deus incarnatus est. Fur et diabolus erat Judas? Permittatur Christum tradere, quo portæ inferi disrumpantur, passionis incendium inflammare, quo synagoga devastetur.

IV. Ex S. Thoma Aquin. in Matth. X. ut doceat dignitatum flatus non sanctificare hominem. Ostende mihi locum, quo non penetraverit peccatum, unde nemo sit lapsus. In cælo? Lapsus est inde Lucifer, cum angelis innumeris. In paradiso? Lapsus est inde Adam et Eva. In cathedra pontificum? Lapsus inde Heli. In throno regio? Lapsus inde Saul: *Ne respicias vultum ejus* (ait ad Samuelem de Saule Dominus, I. Reg. XVI.) *neque altitudinem stature ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico*. Sed cur subjecisti Domine? Respondet idem per Samuelem Sauli, c. XV. *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex*. Quando enim quis curam sui subicere incipit, (quemadmodum de Juda scripsit Chrysost. homil. X. de pœnitentia, cum licet primo bonus esset, per negligentiam tamen et pigritiam paulatim decidisse) fit ut ipse quoque quantumvis excelsus et Deo acceptus fuerit, ab illo abiciatur. Sic enim de Jechonia quoque Jerem. XXII. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joachim regis Juda, annulus in manu dexteræ meæ, inde evelam eum*. Arcissime junctus, velut digito annulus videbatur Christo Judas, et qui Christi dispensator in re familiari fuit: sed avulsus est hic annulus, quia vacillando et pigritando Christi digito male adhærebat. Utinam fecisset ipse, quod suaserat suis asseclis: *Tenete cum, et ducite caute*, Marc. XIV. Si tenuisses miser et duxisses illum caute, nec ab eo avulsus, nec morti æternæ traditus esses. Restat igitur ut quicumque in dignitate sunt, ne nimium sibi fidant, sed teneant

quod habent, et caute Christum ducant. Id quod præcipit Joannes episcopo Philadelphie, Apoc. III. dicens: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*. Abstulit Matthias coronam Judæ, dum in ejus subvectus est locum, et vel annulus pretiosus manibus Christi arcissime insertus: vide tu, qui in apice sedes, ne similem culpa tua patiaris jacturam.

V. Ex eodem D. Thoma ibidem, ut intelligamus mirum non esse si in magna societate reperitur aliquis Judas. Duodecim erant apostoli: quantum est hoc collegium? Et tamen Judam habuit. Percurrito Scripturam et nil aliud reperies: *Nam et in angelis suis reperit pravitatem Deus*, Job IV. et in domo Adæ fuit Cain, in domo Noe Cham, in domo Abrahamæ Ismael, in domo Isaac Esau, in domo Jacob, præter Joseph et Benjamin, omnes rei. Quare Augustinus, epist. CXXXVII. ut habetur XLVII. dist. c. Quantum libet, ait: «Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, quod domus mea melior sit quam arca Noe, ubi inter octo tantum homines, unus reprobus inventus est: aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit quam domus Jacob, ubi lectum patris filius incestavit: aut melior sit quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quam cælum, unde angeli ceciderunt.» Igitur inique agunt, qui bonam societatem ob unum alterumve putridum membrum oderunt, calumniis appetunt et informant. Ejusmodi scelestum caput insectatur David, Ps. LI. *Doeg videlicet illum, qui propter unum David, quem Abimelech sacerdos receperat in suam domum, accusavit et infamavit apud regem Saul sacerdotem et omnem domum ejus, necnon ad extremum interfecit cum octoginta quatuor sacerdotibus propinquis, ut habetur I. Reg. XXII. Quid igitur ait David ad Doeg? Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum, id est, diu cogitasti contra me ut posses loqui et occasione arrepta accusare me. Sed quid fecisti? Dum me solum insequeris, alios etiam innocentes uti Achimelech ejusque domum calumniaris et occidis. Quemadmodum in hac novacula, non pilos tantum radit quod solum debet; sed cutem etiam et carnem simul aufert atque ideo vulnerat, ut exponit S. Hilarius in eo Ps. ita ut qui me velut capillum persequeris,*

simul etiam innoxios illos calumniaris et occidis. Capilli licet ex corpore prodeant, corporis tamen pars non sunt, sed tantum excrementa: ita de apostatis, I. Jo. II. dicitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Quemadmodum igitur perperam et dolose agit tonsor, qui vocatus ut radat pilos, radit etiam cutem et carnem, ita perversus sit necesse est, qui propter unum alterumve Judam vituperat collegium.

VI. Ex S. August. in Ps. XXXIV. et XVIII. de civit. c. XXXIX. ut doceamur malos etiam inter bonos tolerare. Maximam sine dubio afflictionem Christo pariebat Judas, quod tamdiu secum versaretur, interim tamen semper ad interitum vergeret, adeoque proditionem machinaretur. Venerat enim Dominus ut id quod perierat salvum faceret: jam vero dum operam suam in illo se perdere advertebat, qui proximus illi erat, quid cogitatis, habuisse afflictionis Dominum zelo plenum? Poterat de Juda dicere, quod Moyses de Israelitis dixit: *Ecce filii Israel non audiunt me, et quomodo audiet Pharaon*, Exod. VI. Existimo ego Judam angelum Satanæ fuisse Christo, qui eum obstinata sua voluntate colaphizaret, ut non immerito, Jo. VI. vocet illum diabolum. Inde enim est, quod cum de eo mentionem facit, turbatur spiritu et protestatur quasi vim patiens, Job. XIII. Inde est quod tam aspere sentitejus præsentiam, dicens: *Manus tradentis mecum est*, Luc. XXII. et iterum: *Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet*, Matth. XXVI. et iterum: *Ecce qui me tradet prope est*, Marc. XIV. Assumpsit eum semel iterumque diabolus et per aerem vexit: modo ad pinnaculum templi, modo in montem excelsum, ut habetur Matth. IV. et tenet communiter expositores cum D. Gregor. nom. XVI. in evangelia: «Id quod refugit mens credere humana, hoc audire aures expavescunt,» ut ait ibid. Greg. Origenes vero hom. XXXI. in Luc. incredibile putat, ut scilicet diabolus duceret Filium Dei et ille sequeretur. Id tamen aspere non accepit Christus, nec ullo pacto inde turbatus est. Quid est ergo quod ob Judæ præsentiam turbatur et toties protestatur quasi vim passus? Nimirum major erat Christo pœna sedere et manducare cum homine impœnitente, quam cum ipso diabolo. Et tamen interim non repulit eum a se vel collegio suo: non extinxit morte subita, sed toleravit, pavit, monuit. Argumentare jam tu Christiane et dic: Si hominem adeo infensum toleravit tam patienter Christus, et nequaquam a se repulit, donec ipsemet jugum illius suave excuteret, quid indignaris tu, si forte cum perverso vivendum tibi

scias? Entibi cum Cain Abel, cum Ismaele Isaac, cum Esau Jacob, cum Saule David, cum Juda Christus. Et si sic magister, æqui et boni consule, si patiaris hoc discipulus.

## CONCIO VII.

NEMINEM PERTURBARIAUT SCANDALIZARI DEBERE, QUOD QUANDOQUE JUDAS ALIQUIS DESERAT ECCLESIAM.

I. Quia talis casus non est novus. — II. Quia non mirum si e multis bonis sit malus. — III. Quia dæmon fortioribus magis insidiatur. — IV. Quia non tam ob fidei difficultatem, quam ob pravos mores. — V. Quia de hoc præmonuit nos Deus. — VI. Quia supra petram fidei non super personas fundati sumus.

## THEMA.

*Prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.*  
Act. I.

Gravis quidem et expavescendus fuit Judæ casus, cum se desperatus suspendit: fuit tamen ipsi soli exitiosus et probrosus. Non enim legimus ex apostolis vel discipulis aut etiam infirmioribus fidelibus vel unum propter Judam aut fidem abnegasse, aut se quoque suspendisse, sed potius paulo post conventu habito pro eo Matthiam elegerunt. Quæ singularis Dei erga suos fidei providentia est, ut ob casum unius licet in Ecclesia herois, non patiaris facile labi infirmiores. Putant quidem hæretici cum quis doctor a nostris ad ipsos deficit, jam nutare fidem nostram, et nos cum ipso casuros, laqueumque gulæ propriæ injecturos: sed frustra hoc a nobis expectant; quia videmus etiam cum Juda neminem aliam se suspendisse, vel propter ipsum defecisse. Ne tamen pusillanimes aliqui in ejusmodi lapide offendant, videbimus causas, cum nemo propterea moveri debeat.

I. Quia ejusmodi casus non est novus, aut in Ecclesia inauditus: omnibus enim sæculis fuerunt aliqui Judæ et Ecclesiæ desertores, a Deo labi permissi, ut per eos omni tempore exercitaretur Ecclesia, nec tamen propterea Ecclesia cum corruebat illis corruebat, utpote quæ non super ipsos, sed supra firmam petram est ædificata; estque instar fenestræ in domo divitis, in qua si rotula una frangatur, mox alia ejus loco instituitur: siquidem Deus vase uno confracto, mox aliud facere potest, ut indicavit Hierem. c. XVIII. cum eum jussit ire in domum figuli: qui eo spectante fecit vas, quod dissipatum est, moxque fecit pro eo alterum sicut placuerat illi. Et tunc Dominus: *Numquid sicut figulus iste non potero vobis*

facere? Sic imprimis loco Judæ (licet ipse iniquissimo tempore, quo videlicet Christus juxta prædictionem suam, omnia ad se tracturus erat, a Christo defecerit.) Statim in cruce confessus est latro, et demum substitutus est Matthias. Loco Petri negantis constituitur centurio; loco discipulorum, qui in Christi passione fugerant et scandalizati erant, Judæi qui prius blasphemabant: *Revertuntur percutientes pectora sua.* Non igitur evertit Ecclesiam talium ruina. Imprimis Jo. VI. Christo disserente de eucharistia, multi ex discipulis ejus scandalizati sunt, abieruntque retro et jam non cum illo ambulabant. Unde isti scandalizati; inde duodecim apostoli confirmati fuere, interrogatis enim illis: *Numquid et vos vultis abire?* respondit pro omnibus Petrus: *Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Quis in Ecclesia Græcorum olim celebrior Origene? Quis apud Latinos Tertulliano? Uterque antiquissimus doctor sæculo tertio, et primus quidem acerrimus hæreticorum et Ecclesiæ hostium insectator et everser, multorumque sanctorumque confessorum et martyrum doctor. Et tamen uterque tandem ab Ecclesia ad hæresim defecit, nihilque ob id mota est Ecclesia. Sapricius presbyter sub imperatore Valeriano, celebris in Ecclesia, cum jam ad martyrium duceretur, jamjam plectendus, fidem negat, diis immolat: cujus tamen ruinam mox Nicephorus, qui ab infenso sibi Sapricio veniam impetrare non poterat, resarcivit suam præbendo cervicem, apud Sur. tom. I. et Baron. an. 260. Osius Constantini Magni ductor et monitor celeberrimus quibusque Ecclesiæ muneribus et legationibus perfunctus, tandem Nicæni Concilii proditor adeoque veræ fidei hostis et Arianus factus est. Non tamen ideo Ecclesia collapsa est, sed dum is negat, hostes fidei constituntur Ariani: ablegata siquidem ab Oσιο in Filio divina substantia, eadem ab ejus impugnatoribus restituitur, prædicat denique ipse Constantinus imp. publicisque edictis demoliendum curat, quod Osius una cum aliis impie ædificarat, ut scribit Baron. anno 357. Ex quadraginta illis militibus martyribus ad Sebasten sub Licinio imperatore uno deficiente, et in proximum tabefactum balneum a frigidissimo lacu desiliente, mox fide Christi accensus janitor, pro illo numerum implevit et Christianum se confessus martyribus adjunxit, ut in eorum festo, lect. IV. Ita S. Franciscus cum initio ordinis sui pauci essent et aliqui deficerent, ideoque timeret ne ordo ejus rueret, hæc a Christo audivit: *Quid turbaris Francisce, aut quid angeris, cum tuorum fratrum quispiam vel ordinem deserit, vel in ordine scandalum conceitat? An forte existimas, ita te rectorem hujus gregis cons-*

titutum, ut non me intelligas superiorem ejus rectorem? Si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo, etc. Bonav. in vita. Idem a potiori præstat Christus Ecclesiæ suæ, quia hæc interire nequit.

II. Quia non mirum ex tanto honorum numero unum vel aliquos esse reprobos. Quemadmodum enim nullum est maligranatum, in quo non sit aliquod granum putre, ut scribit Pier. I. LIV. hierogl. ita nulla communitas in qua non sit ovis aliqua scabiosa. Fuit in domo Noe, Cham reprobos: in domo Abrahamæ, filius Ismael: in domo Isaac, Esau: in domo Christi, Judas: quid mirum si in Ecclesia tam longe lateque diffusa, inveniantur etiam reprobi? Prædixit hoc sæpe Dominus; in eadem area scilicet, fore etiam paleas: in eadem massa pisces bonos et malos: in eodem agro triticum et zizania: inter ipsas Ecclesiæ virgines, alias prudentes, alias fatuas. Quis ergo hoc miretur vel ob id reprobet Ecclesiam? Num ideo mare navigiis mercatorum destituitur, quia aliquorum navigia interiere? Num ideo uxores non ducuntur, quia aliqua earum inventæ sunt adulteræ? Num ideo in lecto non accumbitur, quia videntur in eo multi mori? Num ideo alterum non ascendis equum, quia in priore corruisti? Certe S. Matthias non dubitavit succedere Judæ, nec in opprobrium ei cessit, sed potius in honorem: sicut cum cadente et interfecto vexillifero alius statim ex sociis apprehendit vexillum, et gerit: id quod certatim faciunt milites. Illud potius mirandum, quod inter sæculares tot sint mali: non, quod inter religiosos plurimos, tantum unus vel alter sit malus.

III. Quia diabolus cum sit fortis armatus, fortioribus spiritu magis insidiat; siquidem ipsum Christum tentationibus aggressus est; et inter filios Dei adfuit ante Deum, Job II. et ad Petrum, Lucæ XXII. ait Dominus: *Eccæ Satanas expetivit vos, ut cribret sicut triticum.* Ut enim si triticum diu fortiterque cribretur, multa grana minora decidunt per cribrum, quæ alias remansissent: ita cum doctiores et religiosiores fortiter tentantur, non mirum si reperiuntur, qui minus habent et decidunt. De eodem dicitur Job XL. *Absorbebit fluvium et non mirabitur et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* In quem locum S. Gregor. ait: « Pro magno non æstimat si eos devorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum corruunt; sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam cælestibus contemplatur. » Non magis mirandum, si fortis fortem dejiciat, quam si infirmus infirmum: et si civitas munita occupetur a magno exercitu, quam si immunita parva manu. Atque excelsio-

res demon libentius tentat; sunt enim cibusejus electus, ut habetur Habacuc, c. I. Gratulentur sibi hac ex parte simplices et rudes, quia falconi illi in alto prædanti minus sunt expositi.

IV. Quia quicumque tales ab Ecclesia digressi sunt, non tam ob fidei difficultatem, quam ob pravos suos mores discesserunt, ut sic minus mirum sit si a diabolo superati et præcipitati sint. Etenim de illo ait S. Job: *Halitus ejus prunas ardere facit,* cap. XLI. Quis autem nescit prunas esse ad ignem concipiendum valde dispositas, utpote quæ jam prius ignem viderunt et ab eo macerata opera carbonarii sunt? Unde I. Jo. II. dicitur: *Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Jam vero mali eorum mores, negligentia, tædium vitæ spiritualis, concupiscentia carnis, oculorum et superbia vitæ ostendunt non fuisse ex nobis. Origenem superbia et elatio de sua scientia et presumptione, qua se plus omnibus sapere putavit, dejecit, ut scribit Vincent. Lyr. c. XXIII. contra hæreses. Similiter Hilarius diaconus ob gloriam confessionis, cum jam verbera, carceres et exilium tolerasset, spernens eos qui ceciderant, et recipere ad Ecclesiam molens, schisma primo fecit, deinde hæresin addit, Baron. an. 362. Jovinianus quod ferre monasticam vitam delicatus non posset, quam et impure vixerat, ut testatur S. Hier. lib. I. contra Jovinian. Quia igitur tales paleæ fuerunt, non triticum, non mirum si de area Ecclesiæ avolarint. Hinc de Juda ait, S. Petrus in hodierna epistola prævaricatum esse: *Ut abiret in locum suum.* Locus autem illius quo scilicet semper spectabat et arboris instar propendebat, erat suspendium, ut ait Oecumenius; vel potius infernus, ad quem velut ad terminum suam direxerat vitam: potius igitur laudandus est Deus, qui Ecclesiam suam ab ejusmodi zizaniis purgare solet, et dicendum: *Sic pereant peccatores: vel cum Diogene, qui cum aliquando malam vetulam in arbore vidisset pendulam: Utinam, inquit, omnes arbores ferrent tales fructus.* Et tantum abest ut ejusmodi apostatæ fidei nostræ derogent, ut ejus potius sanctitatem confirmet: nam uti mare ejicit mortuos, ita religio nostra reprobos et incorrigibiles. Nemo deficit a nobis ad Lutheranos, ut melius vacare possit orationi, jejunio, castitati; nemo ut mundum contemnat, ut illecebras feminarum fugiat, ut magis voluntatem suam abdicet et superiori subdat, etc. sed contra, ut libertatem et apertam viam habeat, ad libidinem suam implendam. Unde nondum habent a nobis hæretici nisi reprobos, refractarios, etc. nec ullus adhuc ex illis catalogo sanctorum accessitus fuit. Quia ut cani ante macellum

stanti non adjicitur nisi caro fœda et inutilis: ita de Ecclesia non projicit Deus in os diaboli, quod est hæresis, nisi reprobos.

V. Quia præmonuit Deus talia scandala nobis sæpius obventura; proinde ne moveamur. Deut. c. XIII. *Si surrexerit in medio tui propheta, ait Moyses, aut qui somnium se vidisse dicat, etc. non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, annon in toto corde et in tota anima vestra.* Præmonuit et Paulus, Act. XX. dicens: *Ego scio quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos non parcentes gregi, et ex vobis ipsi eurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate, memoria retinentes, etc.* Unde August. ep. CXXXVII. ait: « Manifestum est quidem, quia ista in Ecclesia non accidunt, sine gravi tristitia sanctorum atque fidelium, verumtamen consoletur nos qui cuncta prædixit, atque ut abundantia iniquitatis non refrigescamus, sed usque in finem perseveremus, ut salvi esse possimus, admonuit. » Hæc ille. Nam si nauta prævidens certo in loco navem agitantem fluctibus, præmoneat eos qui in navi sunt ne terreantur, aut locis suis cedant, sed suis quique locis sedeant, fluctuataram quidem navim, sed nihil timendum esse tunc omnes sibi attendunt et locis suis firmius adherent, quam antea. Hoc ergo faciamus et nos.

VI. Quia nos supra petram fundati sumus, non supra hos vel illos doctores; et adheremus Ecclesiæ Romanæ, quæ a Christo accepit promissionem, non defecturam ejus fidem: non doctoribus, qui errare singuli possunt, quia hanc promissionem non acceperunt. Unde cum Ecclesia doctores quidem recipimus, non tamen cum doctoribus Ecclesiam deserimus. Errarunt multa doctorum concilia vel potius conciliabula, quia a summo Ecclesiæ pastore non fuerunt approbata. Quare qui ob unius vel plurimorum doctorum ab Ecclesia defectionem scandalizantur vel nutant incipiunt, ostendunt se radices non habere, ut qui in tempore tentationis recedunt, nec super petram sed super arenam fundatos; quod prius nesciebamus. Quemadmodum enim canis cum duobus currens, nescitur utrius sit, nisi postquam illi ab invicem separantur: ita aliqui adherent tantum Ecclesiæ Romanæ, quia vident majorem partem et plures ei adherere doctores, atque ita sequuntur potius doctores, quam Ecclesiam; quod ostendunt, cum, discedentibus ab Ecclesia doctoribus, sequuntur ipsos, non Ecclesiam; nos autem non sic, sed si angelus de cælo aliud evangelizaret, præter id quod nobis prædicat cathedra Petri, nequaquam audiremus.